

TABVLA RECITATIONVM

IN
ACADEMIA LVDOVICIANA
PER SEMESTRE HIBERNVM
A DIE XV. OCTOBR.

CIOIOCCCLXXXI.
INCHOANDARVM.

RECTOR
ACADEMIAE LVDOVICIANAE
D. HELVICVS BERNHARDVS
IAVP
CVM SENATV.

In celeberrima atque amoenissima vitae rusticae descriptione *Horatiana* (Ep. II.) inter beati ruris gaudia *aves* etiam v. 26. commemorari, neminem Vestrum, *Aestumatisimam* *Commilirones*, fugit. Quas quum *queri* poeta dixerit, interpretes Germani vocem illam alii per *klagen* (v. c. auctores versionis Onoldinae) alii per *girren* (v. c. auctor libelli: *Noch dreissig Oden aus dem Horatz*) reddiderunt. Quemadmodum *aves* poetis *garrere* (v. c. *Ouidio* *Heroid.* X. 8.) solent, ita concentum earum cum *questu* comparari notissimum est. In nonnullarum quidem voce querulum aliquid atque lamentabile inesse, nonnullas sensu proprio *queri* scimus. Cur *hirundo* queratur, ratio mythologica adest, quam *Horatius* *Carm.* IV. 12. his verbis descripsit: *Ite* flebiliter gemens infelix avis. Eiusdem domus casum quum *Philomela* lugeat, de *lucinia* *Virgilium* (*Georg.* IV. 514.) cecinisse minime miramur:

Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen
Integrat, & moestis late loca questibus implet.

Simili metamorphosi *Halcyone* in avem mutata mariti exitum desinet, nidusque eius ideo *querulus* ab *Ouidio* appellatur. Quam ob causam idem poeta *Her.* Ep. XVIII. 82. de aibus istis dixit:

Alcyones solae, memores Ceycis amati,
Nescio, quid visae sunt mihi dulce queri.

Cygnorum, qui non nisi morte instante canere credebantur, cantui triste aliquid atque ferale inesse videbatur, lugubremque ipsis querelam *Lucretius* IV. 550. tribuit. *Turturis*, quae *Virgilio* (*Ecl.* I. 59.) *gemit*, *cicadae*, quae, ut eiusdem poetae verbis utamur, *querulo* cantu arbusta rumpit, voces humanae voci querenti haud dissimiles videntur. Quamvis autem non de omnium singularum avium modis vocabulum *queri* usurpetur (de passeribus, coruis, bubonibus luctiferis, gallis nullum certe exemplum afferri potest) saepius tamen, uti in illo *Horatiano* loco, *queri* tanquam verbum uniuersis aibus proprium occurrit. Quodsi in causam inquiramus, hanc *Scholias*ta vetus suppeditat, a veteribus *omnium animalium* voces praeter humanam *querelam* dictas esse. Quae interpretatio iusto latior videtur, quum nec uniuersum de animalibus (ita ut sonus haud articulaus, propter quem *murae* pecudes esse dicuntur, innuatur) nec de omnibus singulis bestiis vocabulum illud legerimus. Leones, canes, ursi, lupi profecto non *queruntur*, nisi forte dolore quodam afflicti. Namque teste *Lucretio* V. 1058.:

Dissimiles solent voces variasque ciere,
Cum metus aut dolor est, aut cum iam gaudia gliscunt.

De paucissimis animalibus praeter *aves* vocem illam usurpatam inuenimus, tantummodo de *ranis* *Georg.* I. 378., ubi eadem *cauera* improprie etiam dicuntur, & de *bobus* *Aen.* VIII.

215. et si hoc loco lugere eos vacas per Cacum amotas dicere posses. *Ranas* non ideo *queri* putamus, quia Lyciae rustici in ranas transformati a poetis narrantur; rustici enim illi non lamentantur, sed autore *Ouidio* conuicio linguas exercent. Propter aliquam potius inter ranarum, bouum, & auium voces similitudinem communi verbo insigniri videntur. Quum non omnibus auibus, nedum ranis & bubus; mollior suauiorque cantus sit, vocabulum *queri* hic non eundem sensum habet, ac in locis, ubi de *ribis* usurpatur. Vel res vitæ carentes nonnunquam *queri* dicuntur, v. c. *ianuæ* stridentes siue crepantes, sicuti *Ouidius* Fast. III. 642. ea voce vsus est his verbis: *Querulas* impulit aura *fores*, eodem profecto sensu, quo alio loco Ep. ex P. III. 10. de fenestra dixit:

Et *gemit* paruo mota fenestra sono,

quoque *Bosporus* agitatus *Horatio* Carm. II. 20. *genere* viderur. Similiter in prouinciis nonnullis patriæ, Franconia exempli gratia, *ianuæ* crepantis sonus *græuend* (ciulans, plorans) appellatur. Eodem modo signa in fastigijs domuum ventorum indicandorum causa constituta (*Wetterfahnen*, *Wetterhaehne*) a poeta vernaculo (*Lieder zweier Liebenden* p. 38.) clamare (*kreischeu*) dicuntur. E quibus omnibus luce clarius apparet, *Horatium* aues *querentes* in medium protulisse, non solum, (quæ *Celeb. Heynii* in notis ad *Georgicon* occasione ranarum sententia est) ob sonum earum repetitum semperque eundem (quibus rebus vox omnium animalium a voce humana differt, quoque sensu *psittacus* maxime *quereretur*) sed etiam ob sonum illum argutissimum (*hellgellend* de coturnice *Ramlerus* noster dixit) qui in ranis inuisque æque ac in auibus obseruatur. Quare *Horatii* sensus optime verbo vernaculo *zwischeu* reddi videtur. Easdem ob causas melius nostra quidem sententia lexica physicam illam vocis *queri* significationem primo loco stauerent, atque inde alteram ad dolorem humanum translata derivarent. Quicumque enim lamentantur, voces edunt continuas, semper easdem, atque argutas. — Iam tabulam delineabimus hibernarum prælectionum *Vobis*, vti certissime nobis persuasum habemus, gratissimarum. Quæ autam. scholæ et si *Vobis* omnibus pateant, frequentari tamen eas a pluribus scientiarum amore flagrantibus eximie lactabimur.

LECTIONES THEOLOGICAE.

D. IO. HERMANNVS BENNER, Acad. Senior. Instaurata tantisper valetudine, *exegeſin* epistolæ ad Romanos, *præceptis hermeneuticis* accommodatam, dabit. *Theologiam moralem* e suo compendio praeleget horis XI-XII. IV-V. Instantibus nundinis *tertiam meditationum partem* typis descriptam exhibebit.

D. IOHANNES GEORGIUS BECHTOLD hora VIII. matutina b. Heilmanni *theologiam dogmaticam*; hor. VIII. Ven. Lessii *theolog. moralem*; hora X. b. Deylingii *prudentiam pastorem*, seu, ubi auditores magis e re sua duxerint, Ven. Milleri *Anweisung zur Catechisirkunst und zu christlichen Religionsgesprächen* interpretabitur. Eadem hora diebus Mercurii & Saturni epistolæ Pauli ad Romanos & Galatas praeleget, suisque scholiis continuis illustrabit.

D. LVDOVICVS BENIAMIN OUVRIER. Hora VIII-IX. docebit *theologiam moralem* duce D. Lessio IX-X. *dogmaticam* praeunte D. Danouio, XI-XII. *historiam ecclesiasticam* N. T. ad ductum b. Moshemii. Diebus Mercurii & Iouis hora VIII-IX. *homileticum theoretico-practicum* ad compendium suum nec non *examinatorium* instituet in *theol. dogmat. vel etiam moralem*.

LECTIONES IURIDICAE.

D. IO. CHRISTOPH. KOCH *Pandectas* hor. IX - X, & XI - XII., *iur. canonicum & ecclesiasticum Protestantium* hor. X - XI., *iur. criminale* hor. II - III. sex per hebdomadem diebus docebit, vsurus compendiis I. AVG. HELLFELDI & G. L. BOEHMERI & suis Institutionibus *iur. crim.* Ad collegium *examinatorium & disputatorium* quoque paratus est.

D. CHRISTIANVS HARTMANNVS SAMVEL GATZERT Hor. VIII-IX. Collegium *practicum elaboratorium & theoreticum Processuale* aperiet; hor. III-IV. *Iur. Germanicum priuatum*; hor. IV-V. *Iur. publicum I. R. G.* horaque alia commoda *Iur. feudale* tradet, ducibus Selchouio, Püttero, Boehmero.

D. HEL-

D. HELVICVS BERNHARDVS IAVP hora I^a-II. diebus Lunae & Iouis *iurisdictionem principum*, hora II-III. *iurisdictionem publicam Germanicum*, hora IV-V. *historiam imperii* tradet. Alia hora commoda *processum summorum imp. tribunalium* proponet, neque iis deerit, qui *collegium processuale practicum* denuo aperiri exoptant.

D. IO. GODOFR. SIGISM. ALB. BVCHNER. *Publice* singulis diebus mercurii Hora V-VI. ad *lib. 49. D. de appellationibus* commentabitur. Eadem hora singulis diebus Veneris *collegium disputatorium* in usum selectissimorum auditorum *gratis* aperiet. *Priuatim* Hora VIII-IX. praelectiones ad *Heineccii Elementa iuris civilis secundum ordinem Institutionum* instituet. Hora X-XI. *historiam iuris vniuersi per Germaniam obtinentis*, duce *Selchovio*, docebit. *Priuatissime* Hora II-III. vel alia commodiori, doctrinam de actionibus duce *Boehmero* proponet.

LECTIONES MEDICAE.

D. IO. WILH. BAVMER, Med. Prof. primar. hor. VIII. in Dn. Alb. de Haller primas Physiologiae lineas commentabitur. Hora X. Dn. Frid. Hoffmanni fundamenta Pathologiae specialis, dexteritate longo usu suffulta, explicabit. Hora XI. Historiam naturalem medicam, ad dispensatorii Württembergici normam, tradet, obiectaque, ex tribus naturae regnis huc pertinentia, oculis subiiciet. Nec illis deerit, qui Therapiae specialis, aliusue Medicinae partis, enucleationem desiderabunt.

D. CHRISTOPH. LVDOV. NEBEL, Med. prof. publ. ord. Institutiones Chirurgiae Platneri denuo hora XI-XII. explanabit. Artem obstetriciam ex Compendio Steiniano hora III-IV. tradet. De oculorum morbis hora auditoribus commoda differet.

D. IO. LVD. FRID. DIETZ, Prof. Med. Ord. Anatomiam practicam horis consuetis docebit. H. IX-X. Osteologiam & Myologiam duce *Plenckio*, H. X-XI. Physiologiam praeunte *Hallero* explicabit, ac iconibus & praeparatis anatomicis illustrabit. Collegium etiam examinatorium Anatomico Physiologicum publice offert.

D. CAROL. GVILIELM. CHRISTIAN. MVLLER, *Publice* d. G. & F. h. X-XI. morbos infantum proponet. *Priuatim* h. VIII-IX. Medicinam forensis praeunte *Ludwigio*, IX-X. Chemiam experimentalem, XI-XII. Historiam naturalem ad syst. *Linneanum*, II-III. Mineralogiam duce *Cronstedtio*, III-IV. Physicam dogmatico-experimentalem ad filum *Becmanniani* libri, docebit.

LECTIONES PHILOSOPHICAE.

ANDREAS BOEHM. Log. Met. & Math. P. P. P. Academicae biblioth. Praefectus. Hora X. eas, quae ex elapso semestri superfunt, matheos applicatae partes, atque inter eas praesertim utramque architecturam; H. II. vero matheos puram praeunte *b. Wolfio* im Auszuge aus den Anfangsgründen; H. IV. logicam & H. V. metaphysicam ad ductum compendiorum a se editorum tradet. Bibliothecam publicam tempore consueto aperiet.

IO. CHRISTOPH. FRIED. SCHVLZ LL. Or. & Gr. P. P. O. Hor. X-XI. *Iohannis euangelium* ex *Griesbachiana* textus recensione interpretabitur, hor. XI-XII. *historiam ecclesiae Christianae antiquiorem* ex *Walchio* enarrabit. Hor. I-II. fundamenta linguae *Ebraicae* ex suis libellis ponit — ead. hora scholas anglicanas aperiet.

D. CHRISTIAN. HENRICVS SCHMID, Prof. Poet. & Eloqu. *Publice* Hor. III-IV. nonnullos *Liuii* libros illustrabit. *Priuatim* IV-V. Encyclopaediam scientiarum omnium duce *b. Sulzero* tradet. V-VI. *Antiquitates Romanas* praeunte *V. C. Heynio* docebit, ad docendam etiam tam *artem rhetoricam*, quam *poeticam*. paratissimus.

HENR. MART. GODOFR. KOESTER, Histor. P. P. O. Hora VIII-IX. *Historiam literariam* ad Compendium *Baumannianum*, Hora X-XI. *Historiam Statuum Europae* & Hora XI-XII. *Vniuersalem* ad Compendia sua docebit. Offert & Praelectiones

ctiones in historiam ecclesiasticam N. T. ad Comp. Schroeckhianum, in Statisticam, vt vocant, ad Comp. Baumannianum, in Heraldicam ad Comp. Gattererianum, in Philosophiam moralem ad Compendium proprium.

LECTIONES OECONOMICAE.

IO. AVGVSTVS SCHLETTWEIN Semestri hiberno docebit hor. VIII-IX. ante merid. *technologiam* duce *Bekmanno*; ad proprium vero filum hor. X-XI. *Ius naturae & gentium*, hor. III-IV. *notitiam Europae politicam, die Statistik*, & hor. IV-V. *Oeconomiam politicam* s. systema disciplinarum cameralium & politicarum; ad alios quoque labores oeconomicos & politicos, vt solet, paratus, si commilitones iis studere voluerint.

D. IO. WILH. BAVMER, histor. nat. & Chemiae Prof. Hora VIII. in Dn. Frid. Cartheuseri elementa Chemiae dogmatico-experimentalis commentabitur. Hora Dnis Commilitonibus commoda Hydrographiam subterraneam, ad compendium suum typis profans, proponet. Processibus chemicis, physico-pharmaceutico-docimasticis, in laboratorio suo instituendis, Saturni dies destinati funto.

D. IO. LVD. FRID. DIETZ. Medicinam Veterinariam hora auditoribus commoda exponet.

IOH. PHIL. BREIDENSTEIN, Oeconomiae ruralis & Rei calculoriae cameralis P. P. O. Suauissimorum Dnn. Commilitonum studia iuuare ac promouere omni nisu contendens, per curriculum quod expectamus hibernum, Hora IX. Oeconomiam ruralem, praecunte Succouio tradet. — Rem calculoriam cameraliam, ad ductum Wiedeburgii, Hora II. docebit. — Oeconomiam vrbanam ad Dithmari compendium Hora XI. exponet. Arithmeticam theoretico-practicam, Hora I. enucleabit. — Hae erunt lectiones priuatae — publice, aut Tabaci aut croci fatiui culturam, diebus mercurii hora commoda, narrabit; ad omnia denique, quae sui muneris dici possunt, explananda, paratus.

GEORG. FRIDER. WERNER praelectiones suas aestiuas morbo interruptas in semestri hiberno ternis per septimanam horis pomeridianis absoluet, atque lectiones praeparatorias horis mox definiendis iis offert, qui per aestatem instantem exercitia practica in campis ipso duce instituere cupiunt.

LECTIONES EXTRAORDINARIAE.

IOANNES CHRISTIANVS DIETZ, SS. Theolog. Profess. publ. extraord. Explicatis ebraeae linguae regulis grammaticis, Hora X. matutina, Genesin ebraeam secundum pericopas exstantiores enucleabit, vbique linguae genium ostensurus. Hora II. pomeridiana collegium exegeticum in epistolam Pauli ad Colossenses cupientibus offert. Dispositiones homileticas ad calcem pericoparum subnectet.

D. IOH. WILH. CHRISTIAN. BAVMER, Med. Prof. Extraord. Hor. II-III. Pomerid. Physiologiam, praecunte Illustr. Hallero, in primis lin. Physiologiae, proponet. Hor. III-IV. Artem obstetricandi, duce b. m. Cl. Roederer in Elementis artis obstetriciae, tradet. Praeterea ad lectiones osteologicas, aliasue paratus.

Praeter ista Generosissimis Nobilissimisque Ciuibus de luculenta *equitandi, pugnandi gladii salaudique* palaestra, *Gallicae* item & *Italicae* linguae scholis, per magistros carum peritissimos, publice constitutos, abunde prospectum est.

Gissae, Ex Officina Brauniana.
